





22

Procancellarius

GEORGIUS TOBIAS  
SCHWENDENDÖRFFERUS

JCTUS, IN ACADEMIA LIPSI-  
ENSI FACULTATIS JURIDICAE  
ORDINARIUS, ANTECESSOR ET DE-  
CEMVIR, ELECTORALIS ET DUCALIS  
CURIÆ SUPREMÆ PROVINCIALIS  
ASSESSOR, CANONICUS MARTISBUR-  
GENSIS, COLLEGII PRINCIPUM MA-  
JORIS COLLEGIATUS, ET NA-  
TIONIS BAVARICÆ  
SENIOR.

LECTURIS SALUTEM.





## BONUM FACTUM.

Diva Themis edixit: NE. QVIS.  
IN. SACERDOTES. SUOS.  
POSTHAC. SIT. INJURIUS.  
NE. IN. REGNO. SUO. IN.  
ORDINES. LEGATUR. NISI.  
A. LEGITIMO. ORDINE.  
PROBATUS. NEU. IN. TRI-  
BUNALIBUS. KABELÆ. IN-

POSTERUM. GANNIANT. Id Edictum primum per  
orbis terrarum Regna, per Provincias & oppida pro-  
mulgavit, denique ad valvas Academiaram perenni  
schemate proposuit, ut tanquam apud templum suum  
& officinam secretiorem de plano legi possit, & acce-  
dentes statim sui veneratione imbueret, deq; symbolo  
aulæ suæ solenniter admoneret. Bonum factum est,  
dictum edictum ut fervetur!

*a) vid. Hip-  
pol. à La-  
pid. de rat.  
stat. in pref.*

a) Fuerunt huc usque homines novi, & de  
matre etiamnum rubentes, qui ea, qua potuerunt, se-  
veritate, in medium consulere, ex usu Reipubl. esse,  
gravioribus, quam Cornelie sunt, legibus cavere, ut  
in universum omnib<sup>9</sup> Juris Justiniani arctius silentium  
imponatur, quam si Lege diffamari silere jussi fuissent.  
Neque enim ex Digestis istis male digestis, & fortuito  
confutis centonibus necessario hauriri debere litium  
decisionem, suppetere hodieq; acria ingenia, & quæ  
Papinia-

Papinianorum sint excelsiora. Ut obtineas, quod velis, imperio & minis, manuve militari effectum incitius, quam fragmentis quibusdam veterum librorum; satius esse sententia aut decreto defungi, quam efficacissimis argumentis, nam & Prætores jus reddere dici, cum iniquè decernit. b) Tum & hodie rationem status alia omnia exigere, quam quæ garriant Pauli, Scævola, Ulpiani & quantacumque illa veterum Jurisconsultorum series. Satis imperiosa & injuriosa sunt hæc dictatorum jussa: Sed vindicabit ea justa Nemesis, minaturque jam Dea nostra grande & solidum malum. Quamvis enim hos homines jamdum propria ignorantia satis ulciscatur, non erit tamen hæc poena sola, verum propediem deprehendent non se & ipsam Rempublicam. Divinæ isti Leguminationi, sed sibi rei que publicæ eam deesse. Præterea honorum, & ut loquimur, graduum Academicorum honos omnis pro conclamato depositus videtur, ita enim in eorum perniciem multi Catilinariam conjurationem quandam iniverunt, ut neque noctes sibi, neque dies cupiant quietas, sed uni illi invigilent curæ, quo, si quid reliquum splendoris alicubi est, integre perimant. Et ne, dum talia moliuntur, publica autoritate destituti videri possint, ad Cæsarem atque Pontificem provocant. E decretalibus Pontificum producunt illud, quod habet *cap. super specula extr. de privileg. & Excess. Prælat.* Ubi Honorius III. Jus civile & doceri & addisci vetat. Sed cuivis legenti planum fiet, Honorium nequaquam hoc jus integre velle extirpatum (nam & in compluribus locis Pontifices ceu fundamento, constitutionibus Imperialibus innituntur, & ad lectionem earum diserte remittunt) c), sed prohibuisse solum in tractu Lutetiano

b) L. 11. ff. d. 7. & J.

c) Can. 9. & seqq. dist. 10. cap. Inherentes, l. 8. de juram. calumn. ca. ult. 8. d. secund. nupt. cap. 1. d. nov. oper. nunc. cap. 3. de caus. possess. & propriet. Can. in primis. 7. II. quest. 1.

*d) confar* exerceri, ideo scil., quod decretalis ista ederetur tum,  
*Mercer. 1.* cum Galliae se ab Imperii Rom. potestate emanciparent,  
*opin. 2. Ca-* atq; adeo infra Majestatem Regiam videretur, alienis  
*bott. 2. Disp.* legibus obligari d); non secus atq; primis tempo-  
*1. Pithaeum* ribus capitale erat in Hispania legem Imperialem re-  
*in praef. lib.* cipere e). In constitutionibus Imperii ut praesidium  
*coll. leg.* inveniunt, iisdem accensent famosum aliquod scriptum,  
*e) Oldrad.* quo Fridericum III. A. O. R. 1441. edixisse mentiuntur:  
*conf. 69. n. 6.* **Das alle Doctores der Rechten im Heil. Römischen**  
*Matthaeac.* **Reich / Teutscher Nation / am Cammer-Gerichte bey**  
*1. de via* **keinem Rechte / in keines Fürsten / oder andern Rā-**  
*jur. cap. 36.* **then / mehr gelitten / sondern ganz abgethan seyn sol-**  
*f) l. sacri* **len.** Negamus autem scriptionis hujus Autorem Fri-  
*affatus. 6.* dericum unquam extitisse, tum, quod nullibi nomen  
*C. d. divers.* Imperatoris nec in inscriptione, nec in subscriptione ap-  
*rescript. E-* paret, ob quem, ut & sacri Encausti, vel signaculi Cæsa-  
*dict. Imper.* rei, defectum Impp. ipsi constitutiones suas repudiant,  
*Carol. V. A.* atq; pro suis haud agnoscunt f): tum, quia diver-  
*1532. Ord.* sam animi sententiam Fridericus facto ipso ostendit,  
*erim. praefix.* quando Moguntinam & Gryphiswaldensem Acade-  
*g) Christoph.* miam instituit, privilegiis dotavit & Jurisperitos etiam  
*ab Hag. in* tiara Doctorali, cæterisq; inferioribus titulis ornari vo-  
*praef. tract.* luit g); tum deniq; quia famosam hanc cartam in-  
*de usur. p. 12.* certo Autore initio statim vulgatam sparsamq; fuisse  
*h) In der* ipse Goldastus fatetur h), cui tamen haudquaquam  
*Anzeig. wo.* credendum, quando conjicit civitatibus Imperialibus  
*her die* literas istas natales suos debere, hasq;, cum mutuum  
*Reichs.* de exterminandis Jurisperitis consulissent, consultatio-  
*sagung ge-* nem istam suam in comitiis proposuisse. Neq; enim  
*nommen.* ullo iterum indicio inscriptionis, aut subscriptionis, a-  
*p. 312. sub* liove caractere doceri potest, hoc ab Urbibus, Juris  
*17. Teut.* Doctorum consiliis imprimis instructis, vel omnibus,  
*scher Nati-* vel  
*en Noth-*  
*durffe.*

vel majore saltem earum parte, unquam in consulta-  
 tionem potuisse vocari; Certe si vocatum fuisset,  
 nullus ambigo, quin Recessus (ita loquimur) comicio-  
 rum Francofurtensium Anno 1442. publicatus, & Re-  
 formationis titulum præ se ferens, vel minimam saltem  
 hujusce rei mentionem sit facturus i). Sed non est,  
 ut operose hæc excutiam, si quidem ipse stylus & structu-  
 ra operis, sæpius à semetipsa diversa, loquitur, autorem in  
 nullis, aut Imperatoris, aut Imperialis civitatis cancellis,  
 sed in ejus potius scriniis, qui calumniarum parens est,  
 quærendū venire. Rodat autē, ut velit, titulos nostros A-  
 cademicos dens caninus, constabit tamen nihilomi-  
 nus hisce dignitas sua, eoqve intemerata magis, quo  
 pauciorum manuum merx erunt. Non enim deerunt,  
 spero, ex Rerum publ. Moderatoribus, qui eos in tute-  
 lam recipiant, cum sciant, apud eos Viros semper fuif-  
 se præstantissimos, apud quos in Republ. maxima  
 virtutis præmia proponuntur: k) Licet enim virtus  
 ipsa sibi sit præmium & merces pulcherrima, ambitione  
 tamen humani generis factum est, ut virtus ex præmiis  
 æstimetur. Præclare Romani veteres, qui, ut Juris stu-  
 dio operam navantium conatus magis atq; magis pro-  
 veherent, eos nō modo primo statim anno singulari no-  
 mine à vulgo fecernebant, sed singulis insequenti-  
 bus honoratiore subinde compellabant l). Præcla-  
 rius etiam Lotharius II, Imp. (ad hujus enim tempora  
 malo cum communibus m) referre, quam dubitare,) s. & ut obi-  
 qui Juris cultoribus novos titulos, honoresq; novos  
 decrevit, non tamen conferendos, nisi prævio exami-  
 ne. Tituli isti sunt Baccalaureatus, Licentiatura &  
 Doctoratus, seu Magisterium, qui singuli Jurisperito-  
 rum primum proprii, n) post autem & cæteris omni-

i) vid. Con-  
 ring. in tr.  
 d. orig. Jur.  
 Germ. cap.  
 32.

k) Pericl.  
 ap. Thucyd.  
 lib. 2.

l) constit. de  
 jur. docend.  
 rat.

m) vid. Co-  
 ras. ad l. 2.  
 s. & ut obi-  
 ter ff. d. O-  
 rig. Jur.

n) Coras. d.  
 l. Herm. Vul-  
 tej. ad s. Re-  
 sponsa s. d. 7.  
 N. G. & C.

bus Facultatibus communes facti fuerunt. Agerem de iis prolixius, nisi laborem hunc occupassent alii; Unum illud assero: salvis his titulis salva est ipsa Respublica literaria.

Vultis autem immensi hujus contemptus, quo titulos Academicos persequuntur, causam? Dicam, gemina ea est, altera quidem hæc, quod quandoque promiscue quibusvis conferantur, quin imo ultro offerantur; altera inconditus Rabularum latratus. **Q**ui Reipubl. præest, non decernat modo honores virtuti, sed etiam hoc agat oportet, ut ne præmium virtutis cedat ignaviæ. Romani, ut ostenderent, virtutem honores antecedere, non sequi oportere, templum Honori & Virtuti dicatum pariete medio sic dividerunt, ut nemini pateret ad templum honoris aditus, nisi prius patefacta virtutis porta. Recte & sapienter, secus enim si fiat, virtus non modo proprio præmio fraudatur, sed & honor ipse vilescit. Sic, cum C. Flavio Cn. filio, scribæ, patre libertino humili fortuna orto, nullo suo merito à plebe dignitas ædilitia, Patriciis & Nobilibus solis debita, esset collata, datis insimul insignibus honoris, annulo phalerisq;, Patricii & Nobiles annulos projiciebant o). In Gallia lege publ. quondam cavebatur, ne cingulum aureum gestaret, quæ pudicitiam prostituisset; Ast, cum brevi post usu veniret, ut meretrices etiam, pudicitia quocunq; in fornice prostrata, de cingulis aureis gloriarentur, Matronæ probatæ virtutis cingulo aureo abstinebant, ibatq; in proverbium, integram existimationem aureo cingulo præstare p). Atq; hoc ipsum est, quod in Edicto suo Dea nostra ita serio exposcit, ut in regno suo in ordines legatur nemo, nisi legitimo scrutinio probatus. Non debebat

o) Liv. lib. 9.  
cap. fin.

p) Bodin. lib  
5. de Repub.  
c. 4.



bebat Juliani Imper. temporibus in Doctorum nume-  
rum cooptari, nisi integro ordine judicante idoneus q). *q) l. 7. C. d.*  
Non debebat Valentiniano & Valente imperantibus *prof. &*  
prius Archiatrorum numero quis aggregari, quam pri- *Med.*  
mis, qui in ordine reperirentur, septem minimum arbi-  
trantibus, dignus iudicatus r). Ne vult etiam The- *r) l. 10. C. d.*  
mis nostra quatenus principatum in ditione sua tenere, *prof. &*  
nisi quem legitimus ordo dignam censeat. Arcet ergo *Med.*  
& abesse procul jubet eos, qui examen rigorem me-  
tuunt. Quamvis enim sint, qui socordibus blandi-  
antur & pervasum cant, aut examen omnino non esse  
necessarium s), dummodo aliunde de eruditione *s) Hippolit.*  
constet, aut, si examinandus non digne satis respon- *d. Mars. in*  
deat, posse ipsum fiducia diligentiae in posterum pra- *pract. crim.*  
standae ad honores petitos admitti, cumque eo super *s. Aggredi-*  
eruditione tantisper per aversionem transigi; fallunt ta- *or n. 128.*  
men ipsi graviter. Vix enim est, ut ei, cui honores *Port. vol. 4.*  
Academici conferendi sunt commisi, ex quocunq; *conf. 209.*  
testimonio adeo plane de alterius eruditione queat *n. 12.*  
constare, ne ulla ambigendi ansa maneat reliqua; Et *t) arg. d. l. 7.*  
si constet etiam, non res erit ejus arbitrii de solennibus *& l. 10. C. d.*  
quicquam essentialibusq;, quae dubio procul exa- *prof. & Med*  
men est t), omittere aut immutare: Promissa vero *l. 1. ff. d. de-*  
sedulitas & eruditio hic nullatenus sufficit, nisi publico *cret. ab Ord*  
verba dare, aut, ut clarius loquar, mentiri velis. Quan- *fac. l. 1. in fin*  
do quidem, qui gradum alteri confert, eo ipso universo *C. d. off. Mag*  
orbi praedicat, dignum hunc hominem esse, cui functio- *offic. l. ult. C.*  
nes gravissimae committantur, qui consuli secure a cli- *d. stat. & i-*  
entibus, quem audire discentes tuto possint. Qui in- *magin. l. 11.*  
stitorem tabernae suae praeposit, contrahere cum eo ju- *s. 1. C. d.*  
bere videtur, & ob id postmodum ex gestis cum in- *Advocat. 1.*  
stitore conveniri potest u): Qui titulos alicui con- *u) ff. d. in-*  
fert, *stit. action.*

fert, quid agit aliud, quam ut jubeat cujuscunq; mu-  
neris dispensationem ipsi, utputa satis habili, tuto con-  
credere; Videat ergo ne & ipse, si alter commisisse ne-  
gotiis non digne consulat, teneatur.

Abesse etiam vult Themis, dum à legitimo ordine  
probatos cupit, Licentiatos & Doctores à Comitibus  
Palatinis creatos, qui vulgo Bullati audiunt: Debetur  
eqvidē & his su<sup>o</sup> honor atq; dignitas, nomenq; Doctoris  
aut Licentiati utiq; merentur, Idem n. Augustissimus ille  
Imp. qui per Collegium Jurid. honores confert, per Co-  
mites quoq; Palatinos agit; In Academiis tamen crea-  
tis prærogativa debetur: Hinc est, quod in augusto  
camerae Spirensis Tribunali Assessoribus aut Advocatis

x) *O. Cam.* accenseri haud debeant x), nec quicquam dissentienti-  
*p. 1. t. 3. §. 1.* bus aliquibus, qui & Ordinationem Cameralem habent  
*Coler. de* contradicentem, & exemplo Doctoris aut Licentiati  
*Proc. Exe-* Bullati, quem Camerales cooptaverint unquam, desti-  
*cut. p. 2 c. 3.* tuuntur. Debere etiam Comites Palatinos regulariter  
*n. 135. Speck* in Academiis privilegiatis abstinere à promotionibus,  
*cent. 1. q. 22.* minus dubium videtur: Utiq; non tantum in Acade-  
mia Jenensi, sed & hac nostrate Comitibus Palatinis

y) *ap. Limn* promotiones tentantibus contradicendum fuisse & rela-  
*lib. 8. d. jur.* tum legimus y), & meminimus ipsi. Ultimo ad le-  
*publ. c. 8.* gitimæ in ordines lectionis, quam Themis jubet, non  
*n. 12.* necessitatem quidem, sed dignitatem tamen pertinere  
autumo, ut publice fiat. Quemadmodum enim tituli

z) *l. 3. C. d.* Dominici non clanculum aut ab hominibus privatis,  
*hon. vacant* sed palam riteq; & solenniter per publicas manus im-  
ponendi sunt, z) ita nec tituli honorum ad cami-  
num & in latibus, sed in atriis eruditorum selectis ce-  
remoniis auspiciato conferendi veniunt, ut qui in con-  
spectu omnium honoribus maectantur, apud omnes et-  
iam sui venerationem inveniant.

Venio

Venio ad alterum, quod Jurisprudentiæ nostræ  
titulisq; ejus Academicis tantum facit convitium, il-  
lud est promiscuus Rabularum forensium larratus;  
Prorumpunt enim sepius hodie in forum homines, quo-  
rum aut studia immatura sunt, aut, si occasio ita fert,  
etiam plane illiterati, hiq;, quando sex septemq; libello-  
rum formulas, plane protritas & ineptas, addidicerunt,  
immane quid eruditionis juridicæ tenere se autumant,  
quod si unum atq; alterum etiam processus fatale ar-  
ripiant, jam, de legum intellectu parum solliciti, erudi-  
tissimos quosque vehementi furore triumphare infa-  
niunt, moxq; alios insuper atq; alios in consortium  
suum vocant, eosq;, ne à theoria diutius justo se deti-  
neri patiantur, modis omnibus monent: Esse has, in-  
quiunt, imposturas Professorum, qui, ut privato do-  
mesticoq; commodo cōsulant, juvenes in collegiis suis  
detineant; properandum potius ad praxin, quæ fa-  
cilem solidæ jurisprudentiæ addiscendæ rationem o-  
stendat. Atq; hinc est, ut in Actis judicialibus locum  
legibus textibusq; Juris debitum occupent glossæ, com-  
munes opiniones, res judicatæ, consilia, termini ter-  
minantes, faceta demum Brocardica & odiosæ aliæ  
infinite allegationes. Verum, ut huic tanto malo  
tandem medicina fiat, nunc Themis nostra in suis Tri-  
bunalibus huic hominum generi aqua & igni interdicit:  
qui eam veneratur, cuive dignitatem juris nostri tueri  
cordi est *τὴν ἀρετὴν ἀειρεῖται* fortiter contemnet &  
quin sub Jovis arbore cum Sylvani hostia æternum pa-  
scantur, nunquam intercedet. Ut Prætor olim Roma-  
nus salvam suam haberet authoritatem, Calfurniis a), a) l. 1. §. 3. §.  
impudentibus omnibusq; aliis, quibus ea violari vide-  
batur, postulandi coram se facultatem negabat: Idem *seqq. ff. de  
postul.*

B

hodie-

hodieq; quibusvis Tribunalium Præsidibus jus com-  
petit.

Quamvis autem non ubiq; ex æquo æstimata Ju-  
ris scientia fuerit, fuit tamen nonnullibi. Certe ordo  
noster (præfiscini) nihil omisit eorum, quibus aut Ma-  
jorum instituta intemerata servantur, aut conscientia  
illæte consulitur; Nec vicissim defuere nobis, qui, post-  
quam virtutis viam grassari semel instituerant à justa  
semita ut seducerentur, nulla ratione fuere passi, illos  
ipfos viros præstantissimos intelligo, quos non ita  
pridem à pietate, eruditione generisq; splendore laudari  
publicè audivistis quive nominatim sunt:

CHRISTOPHORUS HARTMANNUS

Schæcher/

JACOBUS BORN, Patriæ Senator,

PAULUS FRANCISCUS ROMANUS,

Lipsienses,

JOHANNES ERNESTUS NORICUS,

Northusanus,

GEORGIUS GVILIELMUS Rühle-

wein/Lipsiensis,

JOHANNES CHRISTIANUS Riehler/

Lusatius.

Hi

Hi inquam, cum in intimiorem Juris utriusq;  
scientiam penetrassent, nomina sua nobis fuerunt pro-  
fessi & impetrata post prævium examen prima laurea,  
de secunda quoq;, & Licentiatura, nosmet compella-  
runt; Admisimus eos ad examen, ut nominari con-  
suevit, rigorosum, cathedramq; Inaugurali Disputatio-  
ni sine præside habendæ pandimus, cumq; dignos u-  
biqve suis petitis, qui potirentur, deprehenderemus, u-  
nanimi suffragio Licentiatorum nomen amplissimum  
iis decrevimus. Promotio ipsa, ut auspicato & rite,  
prout Themis nostra jusfit, perficeretur actui publico &  
solenni fuit reservanda, in quo simul Baccalaurealis di-  
gnitatis collatio, privatim dudum facta, (ne silentio  
pereat) publica quoq; voce reiterari debet. Huic a-  
ctui solenni in Acroaterio Petrino perficiendo Ego pro

Cancellario Academiae Lipsi-  
ensis nostræ Clementissimo,  
Reverendissimo, Serenissimo  
ac Celsissimo Principe ac Do-  
mino, DOMINO CHRIS-  
TIANO, Duce Saxoniae, Ju-  
liae, Cliviae ac Montium, Postu-  
lato Administratore Episcopa-  
tus

134  
tus Martisburgensis, Landgra-  
vio Thuringiæ, Marchione Mi-  
sniæ & Utriusq; Lusatia, Comi-  
te in Marca & Ravensberg, Dy-  
nasta in Ravenstein, *cujus vices ex*

*Ipsius clementissima delegatione sustineo, diem XVIII.*  
*Mensis hujus, qui Jovis proximus est, ab hora VII. ma-*  
*tutina destinavi, eumq; ipsum præsentibus jam indico.*  
*Magnificum autem Academiae Rectorem, Amplissi-*  
*mos Civitatis Consules, utriusq; Reipubl. Patres con-*  
*scriptos, & quotquot alii sunt, qui Ordini nostro bene*  
*cupiunt, officiosè invito, rogoq; ut solennibus hisce præ-*  
*sentia, Candidatis novisq; Licentiatis bonis votis adesse*  
*sub talionis lege ne dedignentur. Studiosa Juventus hoc*  
*aget, ut in exempla, quæ nunc colit, propediem*  
*succrescat. P.P. Lipsiæ die 14. Septemb,*

*Anno 1662.*

*Literis Colerianis.*








ULB Halle  
006 682 26X


3



1077







22

cellarius  
 AS TOBIAS  
 ENDÖRFFERUS  
 ADEMIA LIPSI  
 ATIS JURIDICAE  
 TECESOR ET DE  
 ORALIS ET DUCALIS  
 Æ PROVINCIALIS  
 NICUS MARTISBUR  
 II PRINCIPUM MA  
 GIATUS, ET NA  
 BAVARICÆ  
 NIOR.  
 SALUTEM.

